

/ Ill/me et R/me Domine. Litteras Ill/mae D.V. datas die 27
septembris accepi, et statim voluisssem adire summum Pontificem, et
petere id quod Ill/ma D.V. per me peti volebat, sed quia Pontifex
extra Urbem in suburbano suo Tusculano agebat, non potui per ali-
5 quot dies cum eo colloqui. Cum autem in Urbem reversus esset, ad-
ivi Sanctitatem ejus, et petii id quod pro sorore Ill/mae D.V/ae
petendum erat; et ne Pontifex oblivisceretur, more solito libel-
lum supplicem illi obtuli. Pontifex censuit rem esse difficilem,
non propter eam quae ingredi vult monasterium, sed propter sancti-
10 moniales, quae ex aspectu et colloquio foeminarum nobilium et con-
jugatarum possunt a daemone tentari in materia puritatis animae
et corporis. Itaque promisit se cogitaturum, et ad libellum sup-
plicem responsurum. Post aliquot dies, remisit Sanctitas sua libel-
lum ad Cardinalem Sanctae Susannae secretarium Brevium quae scri-
15 buntur ad Principes. Ille mihi retulit placere Pontifici ut con-
cederetur Dominae sorori Ill/mae D.V. id quod fuerat ante aliquot
annos concessum nobilissimae cuidam Principi; et cum instarem ut
Breve scriberetur, respondit non esse opus Brevi apostolico, sed
litteris tantum, ad instar illarum quae scriptae fuerant ad aliam
20 Principem. Ego interim incidi in morbum satis molestum, praeser-
tim homini seni et invalido; et quamvis per ministros meos urgeo
quantum possum, ut Apostolici secretarii quaerant et inveniant
litteras ad quarum similitudinem scribendae sunt litterae ad so-
rorem Ill/mae D.V., nescio tamen quando hoc negotium finiendum
25 sit. Interim nolui tamdiu differre responsionem. Valeat igitur Il-
l/ma D.V. mei memor in sanctis precibus suis; et cum litteras pon-
tificias habere potuero, statim mittam. Datum Romae die 7/a Decem-
bris 1619.